

ORATIO THEOLOGICA:  
ADVERSUS IMPUNE  
GRASSANTIA HUIUS NOVISSIMI  
seculi peccata, & maximè, quæ hoc temporis puncto  
agitantur, EPICUREA BACCHANALIA, in-  
vectiva; habens annexam ad studium re-  
suscitentia seriam exhorta-  
tionem:

IN ILLUSTRIS AC CELEBERRIMÆ  
SCHOLÆ NASSOVICÆ HERBORNENSIS SO-  
lenni conventu, postridie Dominicae Quadragesimæ,  
ipsis Martii Non. Anno MDCIII.  
publicè habita

a

SAMUELE CUTSEMIO CLIVO-  
VESALIENSI.



HERBORNÆ NASSOVIORUM.  
Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1603.

An. Rectori Bras



AMPLISS. PRUDENTISS. SPECTATISS.  
DOCTISSIMISQUE VIRIS, DN. RUTGERO  
BRECHTIO, & DN. JOHANNI WICHMANNO  
Consulibus, cæterisque Ampliss. Reip. Vefalicensis do-  
minis, scabinis & senatoribus, dominis & Mæcenati-  
bus suis summissè colendis:

ITEM

REVERENDIS, CLARISSIMIS, DOCTISSIMISQ.  
VIRIS, DN. JOHANNI PISCATORI, ET DN. MAT-  
THIÆ MARTINIO, S. Theologiæ in illustri Schola Her-  
bornensi Professoribus, & DN. ISAACO BOOTIO; fide-  
lissimis in vinea Domini operatis, & Jesu-Christi servis, dominis  
suis, præceptoribus, & amicis honore & amore prosequendis

*humiliter & officiosè inscribit & offert  
hanc suam Orationem*

Samuel Cutsenius.

ADVERS  
GRASSANTIA  
VECTIVA  
tum quibus

NUMERO  
Magister  
revelat utque  
nobilitate  
vinculum adve

elo in invectus, collatione  
loque mutato, invectum ce  
tulo peccata, roba propon  
cus, am se lei cõfultogit  
aque probantur, si quibus  
vix pteq; qua me huc q  
antiam sed hã uberrimã  
tatum, quem Deus in  
voluit, non videt de letis  
lorum letas, si nova illis,  
fios sed etiam per ore, si con  
fura; nec tam Episcopis qua  
cum oculos convertimus, q  
in lebas palatibus sibi cõ  
bilitas minus vulteribus con  
vix, proximum cum proximo  
minus cõfocant: Ad hoc de  
tu ille. Poeta non minus verte  
Nisquam tanta spes, n  
Nis fuerit a genera, fr  
Invenit cuncta non ce



ORATIO

ADVERSUS IMPUNE  
GRASSANTIA MUNDI PECCATA IN-  
VECTIVA, OSTENDENS MALO-  
rum quibus affligimur, originem, atq;  
*ἀλεξίργονίαν.*



NIMVERO ne vobis res mira, nova, & insolens videatur, Magnifice Domine Rector, viri ampliff. prudentiff. reverendi atque doctiffimi domini Professores, vosq; nobiliffimi ornatiffimiq; juvenes, quod qui nuper orationunculam adversus calamitates hoc postremo mundi seculo irruentes, consolatoriam publicè ad vos habui, nunc vice versa, styloq; mutato, invectivam contra impunè grassantia hoc temporis curriculo peccata, vobis proponam. Est tristiffima, heu, rerum omnium facies, *ἀταξία* seu cōfusio, asperi mores, temerata fides, injustitia, impietas atque profanitas, & quæ hæc à tergo ceu indivulsæ comites consequuntur, plagæ, quæ me huc quasi invitum protruserunt, mihiq; non modò ansam, sed & uberrimã dicendi materiem præbuerunt. Quis enim mortalium, quem DEUS in hoc luctuosissimo mundi theatro superstitem voluit, non videt & sentit, quantus qualisq; sit ubique dolor, quæ malorum lerna, & nova Ilias, ita ut non modò nulla se offerat lætandi occasio, sed etiam pavore, & consternatione, luctuq; omnia ubique sint referta; nec tam Epiniciis quàm Epicediis locus reliquus. Etenim quocunq; oculos convertimus, quid aliud, quàm bella externa & intestina in Rebuspub. æstuando sese efferre videmus? armisq; non solùm inter se hostes mutuis vulneribus conflictâtes digladiari, sed etiam civem cum cive, proximum cum proximo, fratrem cū fratre, nunc cominus, nunc eminus cōcertare? Adeò ut de hac ferreæ ætatis barbarie summâ Ethnicus ille Poëta non minus verè, quàm pulchrè scripserit:

*Nusquam tuta fides, non hospes ab hospite tutus,  
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est;  
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:*

Ovid. 1.  
Meta-  
morph.



Lurida terribiles miscent aconita noverca;  
Filius ante diem patrios inquirat in annos.

Et quid multis? arma arma crepant omnia, totusque terrarum orbis, divisim imperiis, bello ardet. Hanc plagam plaga alia premit, & dolorem dolor excipit: divagantur morbi, iique ut varii, sic noxii, pestilentes & contagiosi: dysenteria, lues epidemia, febris, hydrops, aliique; id genus infiniti, quos singulos enarrare nimis foret longum & difficile: quibus homines correpti, alii in multas noctes diesque cruciatibus summis torquentur, alii subitaneam morte, quasi capti laqueo, abripiuntur. Si de annonae caritate dicendum est, de frugum penuria, agrorum sterilitate, vini inopia; conqueruntur ipsa horrea, arca & penus situ ex inanitate squalescunt; cellae & apothecae vinariae lugent. Jam, ut narrationem tristem continuamus, in Ecclesiis nihil praeter haereses, monstrosas hominum opiniones, errores, deliria, & figmenta, doctorum & piorum virorum mortes, defectus successorum, supinam procerum, plebisque profanitatem, pro dolor, cōtuemur. Sed ne longius eam, ac amplo hoc malorum pelago forte absorbear, singulos evoluturus ad verfarum rerum nostrarum casus; his (inquam) sum motus & permotus, ad hanc orationem pertexendam, & ad hunc suggestum denuo conscendendum. Vos modò, Auditores praestantissimi atque doctissimi, orationi huic meae æquis auribus animisque favete: mihi que, de rebus summis & gravibus verba facturo, veniam date, si majora viribus, & ingenio, videar consecrari. Quod quidem cum ex vultus vestri serenitate, jucundissimoque oculorum in me conjectu mihi polliceat, jam me ad dicendum converto.

Dicam ergo, & quidem quam brevissimè, unde tot, tantaque mala, quibus premimur ac ferè opprimimur, emanent & ebulliant: deinde eorum causas bene cognitis, Medici more, remedia ex fontibus Israël, & sacrarum herbarum hortis, codice biblico, deprompta atque decerpta, adversus eadem, ostendam: quibus pristina afflictis animabus & corporibus salus & incolumitas, DE I ope, restituatur.

Principio originem & fontem malorum nostrorum investiganti, locus mihi occurrit Propheticus, non minus ad fidei & veritatis, quam ad instituti praesentis nostri regulam accommodatus: qui his verbis apud Jeremiam est signatus. *Cumque non posset Jehova amplius ferre propter malignitatem actionum vestrarum, propter abominaciones, quas fecistis: fuit terra vestra vastitati, & desolationi, ac maledictioni, absque ullo habitatore, ut est hodierno die.*

Propterea

De I. parte  
propositionis.

Cap. 44. v.  
32. 23.



3.  
Propterea quòd adolevistis, & quòd peccastis Jehova, neque auscultastis voci Jehovae:  
ac in lege ejus statutus, ejus, & testimonii ejus non ambulastis, propterea evenit vo-  
bis malum hoc, ut est hodierno die. Hęc ut nobis, nostrisque temporibus, apte  
accommodemus, justâ lance peccata nostra quibus in Deum, in proximi-  
um, atq; nos ipsos deliquimus, expendamus varia & nefaria; excutiamus  
sinum nostrum, vitam & mores ad Dei sacrosanctas leges, & præ-  
cepta examinemus, præsensq; hoc temporis curriculum, quod jejunii vul-  
gò vocatur, justis oculis intueamur. En vobis fœda nomine suo, Baccha-  
nalia, ludi solennes, & festa ab ethnicorum & gentilium gente vel planè  
atheâ, vel saltem superstitiosâ & impiâ, Baccho, Jovis (ut Poëtæ deorum  
figuli sunt suis fabulis & fomniis commēti) ex Semele filio, Veneris Ar-  
migero, Tripudiorum & omnis lasciviæ auctori, juveni furioso, cornu-  
to, exlegi, & maleferiato sacra & festa; quæ dum agitantur, omnia omnis  
generis scelera, libidines, saltationes, comessationes, discursationes, vo-  
ciferationes, tumultuando sese efferunt. Hęc (inquam) Bacchanalia, ho-  
minis Christiani voce indigna, per totum penè terrarû orbem invec-  
ta, recepta, celebrata, aded usq; in valuerûnt, tantas vires sumserunt, ut nullâ  
penè in Europa plagam, nullumq; locû ab hac turpissima debacchandi  
consuetudine immunè, sartam tectamq; reliquerint. Testis est Italia, tes-  
tis est Hispania, testis est Gallia, Anglia, testis est nostra Germania, to-  
tumq; Belgium: quanta hominû luxuries, lascivia, temulētia, grassatio-  
nes, libidines, non tantùm circa hoc temporis spaciû, sed continuis an-  
nis, noctes diesq;, ex pravo istius Gentilismi & Epicurismi more & con-  
suetudine totû orbem occuparunt. O tempora, ô mores! Siccine obli-  
ti nominis Christiani, & federis non tantùm naturæ, sed etiam gratiæ cum  
Deo icti, in tam enormia despumamus scelera! ita rationem præstantis-  
simum DEI munus pedibus nostris conculcamus, nosq; ipsi abjicimus  
& prosternimus, ut nihil inter nos, & brutas pecudes interesse videatur?  
Non possum pro meritis fatis in impiâ & irreligiosam Epicureorum fa-  
miliam sectamq; in vehi: ejus barbaricam, feritatē, luxuriam fœdasq; vo-  
luptates, sine ullo Dei, gubernantis cælum & terrâ, atq; in iis omnia, me-  
tu & pavore, sine honesti & virtutis respectu, malè institutâ vitam repre-  
hendere, carpere, vellicare. Quid dicam de nobis? qui meliora à Deo i-  
psi usq; S. ministris præceptoribus didicimus, hausimus, cognovimus: qui  
perfectiore Dei, nostriq; ipsorû cognitione eruditi, imbuti, atq; instituti  
sumus: qui non modò naturę, sed & insuper gratiæ lumine præcunte, ad



viam recti & honesti ducimur: at æquè gaudemus iisdem cum mundo  
frui deliciis, iisdemque nos cum illo contaminamus sordibus; quid, in-  
quam, referam de nobis? Obstupeo, mihi stantq; comæ, & vox faucibus  
hæret. Eheu quid agimus? quónam aberrantes deflectimus? dum quò  
longiùs à via & semita recti discedimus, eò propiùs in fatale nostrũ exi-  
tium, extremamq; & corporum & animarum perniciem præcipites  
ruimus, perimus: nisi Dominus nos voce sua revocet, manuq; reducat.  
Vidit olim Ecclesia, & prævidit veneranda majorum nostrorũ autori-  
tas, præposteros hominũ mores: eos quidem hoc ineunte tẽpore, quod  
jejuniis, & victus temperantiæ Patres, pio fortè zelo quodã impulsì, de-  
stinant, biduo vel triduo velle insanire, luxuriare, cibo potuq; sese in-  
gurgitare, debacchari, malèque feriari: ideoq; circumspèctè & consultò  
voluit nobis die Dominica præcedente, Christi passionem & mortem in  
memoriam refricare: cuius sedulã piãq; consideratione deduceremur ad  
carnis nostræ, & pravorũ desideriorũ mortificationem. Et sanè consilio  
pio. Quemadmodum. n. militiæ duces, imminente jam prælio, quo cum  
hostibus dimicandũ est, tubã cõvocatis militibus, & vexillo regio in me-  
dio ipsorũ constituto, accuratã concione suos milites ad pugnã fortiter  
gerendã, incitant & exhortãtur: sic Ecclesia ad spiritualem pugnam, quã  
carnis affectus cũ spiritu lucrãtur, strenuè capeffendam, Christianos mi-  
lites hac passionis Dominicæ plectiõne historicã, quasi vexillo quodam  
obedienciæ & novæ vitæ extenso, concione longã excitat, provocatq;.  
Etenim proponitur concione hac pcedentis Dominicæ, Christus non  
gloriosus, non hilaris, nō lætabundus, sed <sup>a</sup> *flagellandus, illudendus, conspuen-*  
*du, & cruci affigendus.* Quum ergo sponsus tuus lugubri & atro cultu in-  
cedat, jam jam mortem appetiturus; tu contrã, qui spõsam te ejus profi-  
teris, candidã & fulgenti veste procedis? totus pulcher, lætus, & hilaris?  
fortè etiam crapulã distentus & ebrius, quasi sic semper victurus? Nobi-  
lis in scriptis ecclesiasticis historia memorię posteritatiq; prodita exstat,  
quòd milites Antiochi bello Judæos infestaturi, elephantibus suis ostẽ-  
derint sanguinem uvę & b mororum, ut eos hoc modo ad prælium in-  
eundum acuerent & inflammarent. Simili utitur artificio Ecclesia, dum  
sanguinem Christi fundendũ nobis quasi ante oculos proponēs, ad spi-  
ritualem, quam modò dixi, pugnam nos accendere & animare conatur.  
Nos contrã cuticulam curamus, totos nos epulis ingurgitamus, genio  
indulgemus, ventri servimus, quasi per hoc triduum non Christo, sed  
Baccho

¶ Luc. 18.  
v. 32. 33.

¶ 1. Maccab.  
6. v. 34.



Baccho & Veneri sacra facturi. Quæ luxuries & intemperantia non modò  
 præpostera est, sed etiam intemptiva: non modò incongrua, sed & infana:  
 ac deniq; noxia & pestifera. Præpostera est, quia tã proximè præcedens  
 crapula, tã largaq; comessatio reddit totũ subsequens jejuniũ (si jejunã-  
 dum est) triste & languidum. Qui enim lautè & largiter fuerit epulatus,  
 postea lugebit ventris inediam. At Deo sacra facturi nõ inviti trahimur,  
 non tristes & coacti ad cultum divinum præstandum convenimus, sed  
 sponte, ultrò, animisq; promptis: quippe Deus non tristem, sed hilarem da-  
 torem, teste Apostolo, diligit: ac p̄inde quales nos hîc esse velit, docet mo-  
 netq;: *Cum aut jejunatis vos, ne sitis tristes.* Deinde adedò præpostera est ista  
 intemperantia, ac si quis retrocedendo progredi vellet. Etenim ut scitè  
 docet Basiliius: *Non est per temulentiam aditus ad jejunium, nec ad justitiam iter  
 per fraudem, nec ad sobrietatem per lasciviam, nec per malitiam ad virtutem. Cra-  
 pula & ebrietas ad lasciviam inducunt, ad jejunium frugalitas.* Intemptiva au-  
 tem est, quia difficile ac laboriosum facit subsequens jejunium. Diffi-  
 culter enim sanè ab uno extremo in alterum transitur. Cras dimicatu-  
 rus, hodie te mutilas. Appositè hac de re loquitur Chrysostronus: *Si  
 medici pharmaca dare volentes, jubent interea temperanter agere, ne minus phar-  
 maca operentur, multò magis jejunium suscepturos, tenuitate victus mentem ex-  
 purgare, & leviolem reddere oportet.* Sed nos planè nitimur in vetitum.  
 Vocat nos DEUS verbi sui prædicatione ad pœnitentiam, ad preces, ad  
 jejunia: sed quò minus hîc Deo vocantĩ obtemperemus, voluptatibus  
 mundi nos inescamus, viresq; corporis ita debilitamus, ut Dei cul-  
 tum satagere postea tam nolimus, quàm nequimus. Deinde incon-  
 grua & absurda est hujus temporis intemperantia, quippe quæ totum  
 jejunium evacuat, nobisq; inutile reddit. Causa in promptu est, non  
 enim tum fuerit jejunium, sed medicamentum, quod crapula & im-  
 modicus gulæ luxus pridie præcessit; nec hoc erit in jejunio Dei cul-  
 tum & gloriam, sed in abstinentia sanitatem quærere; nec animæ, sed  
 corporis salutem agere; nec denique Deo, sed naturæ servire. Unde  
 Divus Hieronymus: *Crapulâ distentus, ventris ingluviem jejunando decoquit,  
 ut in cochlearum morem succo victitet suo, & futuris dapibus ac sagine aquali-  
 culum paret.* Et idem alibi jejunium tale illudit, quærens: *Quale illud  
 jejunium est, cum pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum meditatorum  
 efficitur latrinarum, dumq; volumus prolixioris inedia famem quærere, tantum  
 voramus, quantum vix alterius diei nox digerat.* Itaque non tam jejunium

Hac in-  
 temperan-  
 tia

I.  
 Præpostera.

2. Cor. 9.

v. 7.  
 Math. 6.  
 v. 16.

Hom. 1 de  
 laud. jejuna.

2.  
 Intemptiva.

Hom. 1. in  
 Genef.

3.  
 Incongrua.

In epist ad  
 Latam.

Lib. 2. con-  
 tra Iovian.



Hom. 1. de  
laud. jejun.

4.  
Infana.

Lib. contra  
Psychicos.

Juven. sat. 2.

5.  
Noxia.

Hom. 2. de  
jejun.

appellandum est, quàm crapula ac foetens & molesta digestio. Adde quòd etiam  
crapula & ebrietati succedat jejuniù, ut pœna peccati, non ut præmium  
virtutis. Quò respexit Basilus: *Athleta ante certamen exercetur: jejunator ad  
jejunandum temperantiâ preparatur, ne velut ulciscens veniat dies jejunii.* Porro  
infana & impia est eadem intemperantia, quia fucum & fraudem facit  
divinæ legi. Etenim non idèd præcipitur cras jejunare, ut hodie crapulâ  
disrumparis: nec quia cras splendide vestiri oportet, idèd te hodie pan-  
nosum ac lutosum esse decet. Nemo nostrùm (puto) sic vellet sibi cras  
ab aliquo singulare præstari officium, ut hodie ab eodem mille injuriis  
oneretur. At qui hoc in illum competere mihi videtur, qui cras, vel peren-  
diè jejunaturum se simulat, hodie sic vivit ut Deus illi venter sit, & (ut  
Tertullianus falsè adjicit) *pulmo templum, aqualiculus altare, sacerdos coquus,  
cujus tota charitas in cacabis fervet, tota fides in culinis calet, tota spes in ferulis ja-  
cet.* Nec non in eorum numerum referendus videtur, quos his ver-

*Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & glaciale  
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,  
Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.*

Postremò intemperantia ista noxia & damnosa est: quia is, qui in  
sacri jejunii quasi vestibulo gulosum ac temulentum agit, magno se  
crimine obstringit, sibi què periret, laqueum ipse necit. Dum enim  
talis iste divini ordinis contemtor, sanctissimum Dei præceptum de fo-  
brietatis sectandæ studio violat, ingurgitando sese ad guttur usq; potu  
& escâ, impius hostis & osor evadit in Deum, in proximum, atque adèd  
se ipsum; quatenus multis præsentem se ingerit objicitq; periculis. Tum  
verò hac crapulâ, computationibus, clamoribus, turbisq; quasi invitato  
antè Christo, & jam jam adventanti, fores cum rusticè, tum impiè oc-  
cludit, eumq; procul à se pellit fugatq; Neque enim foetidus crapulæ  
istius ructus, & frustra vinum redolentia ferre poterit. Unde est sententia  
illa Basilii non minus elegans, quàm commoda: *Nullus servus hero suo re-  
conciliari cupiens, hostem illius patronum adhibet. At ebrietas inimica est Deo. Itaque  
si cupis per confessionem reverti ad Deum, fuge temulentiam: ne magis etiam abs te  
Deum alienet.* Dixi hætenus in genere de turpissimo & maximè impio  
Bacchanaliorum, quæ his temporibus agi solent, more. Agam deinceps  
exemplis, ac singula, quantum fieri potest, depingam oculis vestris vi-  
tia & scelera, quæ hîc loci & temporis concurrere & confluere solent,  
varia &



7  
varia & enormia: quò melius horum contemplatione feramur in malorum nostrorum, unde sint, cognitionem. Ita enim peccatum & pœna se mutuo tangunt, nexu individuo conjuncta, ut alterum sine altero nec esse, nec superesse quidem possit. Nara quod vel Ethnicus vidit: *Culpam* Horat. o. 3.  
*pœna premit comes.* Primò magna & regalia apparantur convivia, instituntur symposia, fiunt collectæ, postea comotationes, certatur ibi poculis, & ne (ut ille ait) sine Cerere & Libero frigeat Venus, non modò lautè, sed & largiter vivitur. Qui hæctenus visi fuere externâ aliquâ specie & umbrâ virtutis ornati, hîc ingenium, mores, & naturam produunt: quàm licet furcâ expuleris, tamen usque recurrit. Postea itur ad choreas, ubi bene fuerint instar porcorum faginati: utq; eò melius nimum oneratus stomachus quæ largiùs assumfit, digerat, alterno pede quaterre terram delectat. Buccinæ clangût, sonat cum tibia tuba, pulsantur tympana, inhonestæ decantantur cantilenæ, euntq; cælo clamores. Alii dum in tenebris ambulare malunt, larvas induunt, consciï sibi improbitatis suæ, nequam & stolidi, cùm maximè sint, videri tamen nolunt: alii quos pudor coërcuit hæctenus à mendicando, dum ipsis necessaria suppetût, plateatim à domo ad domum stipem, & alia esculenta petere nō erubescunt. Currunt, discurrunt, conatur alter alterum vincere petulantia, & uter possit alterum potando suppressere & scamnis dejicere tentant. Noctu, quò tutiùs prava animi desideria expleant, divagantur, eunt, redeunt per angiportus, vicos, & compita urbis: nihil intentatum, nihil inexploratum, sartum tectumque relinquunt. Hîc, quod libet, licet: quod licet, possunt: quod possunt, audent: quod audent, faciunt: quod faciunt, ipsis molestum non est. En vobis cumulum, farraginem, & plaustra scelerum, unde justâ Dei irâ, & vindictâ calamitates istæ cælo delabentes, templa & tecta nostra feriunt; hinc nobis bella, hinc pestis, fames, morbi, hinc omnis generis mala. Quum autem harum voluptatum pars maxima, & quasi fundamentum, basis atque radix in ventris cura consistat, in crapula & ebrietate versetur: paucis ex S. Scriptura ostendam, quàm hæc *dis dià πασών*, & ex diametro pugnent cum Dei cultu & institutis. Apostolus ad Romanos ait: *Et tanquã in die modeste ambulemus, non in comessationibus, neque in ebrietate, neque in cubilibus, ac proterviiis &c. sed induite ipsum Dominum nostrum Christum, & ne curam habeatis carnis vestræ ad concupiscentiam.* Opponit inter se hæc duo: Indui Christum, & carnis curam agere. Atque hinc ad Philippenses cap. I. *osores crucis Christi* vocat, quo-

B

Cap. 13. v.  
13. 14.







bis capiamus; si studio malorum operum, in justitię, intemperantię, alio-  
 rumq; id genus vitiorum, in tanta mala incurrimus; ę contrario & vice  
 versa, exercitio pietatis, justitię, sobrietatis, &, quę Deo placent, cętero-  
 rum bonorum operum, eadem evitamus. Atq; sic rationem humanam  
 rectę argumentatam esse probat comprobatq; qui est ipsa sapientia &  
 justitia, Deus, *Pater ille noster*: quem, præceptore Christo, oramus: *Remit-*  
*te nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Etenim ut pas-  
 sim hęc illic de ipso S. Scriptura inculcat & repetit: *Cum plagā affectus fue-*  
*rit populus tuus Israhel coram hoste, eod quod peccaverint in te: si conver- si ad te cele-*  
*brant nomen tuum, & orabunt ac deprecabuntur te: tunc tu exaudiens ę cęlis,*  
*condonato peccato populi tui, & reducito eos. Fames cum erit in hac terra, pe-*  
*stis cum erit, aut corruptus aer, aut arugo, aut locusta, cum anget eum inimicus*  
*ejus, in terra ditionis ejus, quęcunque plaga, quęcunque agritudo: cum agnoscentes*  
*quisque plagam animi sui, expandet manus suas versus domum hanc: tum tu*  
*exaudito ę cęlis.* Et, ut ait Dominus apud Prophetam: *Si pœnitentiam egerit*  
*gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam su-*  
*per malo, quod cogitavi ut facerem ei.* Primum igitur nobis remediũ esto  
*seria pœnitentia.* Actã pœnitentiã filius prodigus, de quo in Evangelio,  
 qui Bacchi & Epicuri vitam sectatus depingitur, à patre in gratiam &  
 amplexum suum, fixo illi osculo, recipitur, stolam albam induitur, ma-  
 gnoq; convivio à Patre excipitur. Petrus Christi Apostolus, etsi gravif-  
 simè lapsus est, dum Christum magistrum suum solus ille, non semel, sed  
 tertio negavit, abnegavit, abjuravit, postquam seriam egit pœnitentiam,  
 Christo, ut antè, gratus esse pergit. Ipse enim ad se statim rediēs, *exivit so-*  
*ras, & flevit acerbè*: quem exitum à loco & statu peccati, quem fletum, quas  
 amaras lachrymas ita misericors Deus respexit atque complexus est, ut,  
 perinde ac si nõ peccasset, in numerũ discipulorum Christi, & electorũ  
 æterni Patris rursus adscisceretur. Maria Magdalena, peccatrix dicta, sic  
 pœnitentię studio renovatur, ut de ea dicat Christus: *Remissa sunt ei peccata*  
*multa, quia dilexit multũ.* David gravissima perpetravit peccata, sed ad pœ-  
 nitentiã conversus, à DEO iterum in gratiam receptus est. Quid multis  
 immoror exēplis? Scatet his undiq; tota S. scriptura, pleni sunt illis libri  
 Prophetici, plena omnium Evangelistarũ & Apostolorũ scripta & mo-  
 numenta, à capite ad calcẽ usq;. Tanta verę pœnitentię est vis & efficacia,  
 ut nõ modò peccator, postquã respicit, ex Dei gratia, sanctisq; pmissio-  
 nib. delictorũ remissione donetur, sed & insuper sanctiore & perfectiore

Matth. 6.  
v. 12.

1. Reg. 3. v.  
33-34. 36. 37.  
38.

Ier. 18. v. 3.

Remedia.

I.

Pœnitentia.

Luc. 15.

Matth. 26.

Luc. 7. v. 37.



Ad Theo-  
dof. lapsum  
par. I  
Præfat. in  
Pfal. 37.

2.  
Preces.

Pfal. 50. v.  
15.  
Matth. 11.  
Ioh. 16. v. 24.

Matth. 7.  
v. 7.

2. Par. 18.  
v. 31.

vita, studioq; Deo placendi, exornetur. Etenim, ut pulchrè Chrysof.  
qui per pœnitentiam resurgunt, magna caritate resplendent: & nonnunquam ma-  
jori, quàm illi, qui nunquam ceciderunt. Sic nec ineleganter Ambrosius: Sape  
videmus, qui antè negligentiores fuerint, peccato aliquo commisso, fieri diligentiores,  
& ex illo per pœnitentiam evadere solere perfectiores. Quare & nos ipsi, qui  
Deum Patrem nostrum compellamus, horum exemplis, & multò ma-  
gis sanctis Dei promissionibus de peccatorum veniâ, & bonorum gra-  
tiâ, sub conditione pœnitentię, & studio resipiscentię consequendâ, ni-  
xi & freti, ad feriam, nō feram, non simulatam, sed veram pœnitentiam  
ducamur: orantes Deum, ut ipse nostri misertus, manum hanc castiga-  
tricem liberatrice commutet, omniâque hæc mala à nobis longissimè  
propellat & avertat. Pœnitentiæ accedat *ardens & pia invocatio. Invoca me*  
(inquit Jehova) *in die angustia: eripiam te, ut honore afficias me. Venite ad me om-*  
*nes, qui laboratis & onerati estis; ego vos reficiam. Quodcumque petieritis Patrem*  
*in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis. Quis amabò unquam de causa*  
*desperet? quis certò hæreditatis suæ jus non adeat? voti que sui compos*  
*evadat, quando iudex ipse partem litigantem & ad supplicandum hor-*  
*tatur, & supplicandi formam docet, & facilem impetrationem spondet?*  
At hæc omnia nobis præstat iudicum iudex Deus, ut omnes difficulta-  
tes superemus; ipse monet ut oremus: ipse docet quomodo oremus; ipse  
promittit iterum atque iterum: *Petite, & dabitur vobis; querite, & invenietis;*  
*pulsate, & aperietur vobis.* Susanna castissima matrona in extremo pudici-  
tiæ & famæ periculo constituta, (si modò vera historia est) ad oratio-  
nem confugit, moxque spiritum pueri Danielis qui eam liberet, Deus  
excitavit. Rex Josaphatus ab equitatu Syrorum circumdatus, summo-  
que in vitæ periculo & discrimine positus, clamavit ad Deum, & auxi-  
liatus est ei. Ac hujusmodi exempla plusquam sexcenta S. literæ suppe-  
ditant, quorū recitatione superfedere, paucis his contentos, cogit tem-  
poris brevitatis. Medici pro morborum varietate, varia ægris medica-  
menta applicant; sed oratio ejusmodi est pharmacum, quod omnes om-  
nis generis morbos sanat: vera est illa Panacæa herba, qualis & Ne-  
pentes à Physicis esse putatur. Unde orationis vis & efficacia à Patri-  
bus satis laudari non potuit. Augustinus eam vocat *clavem cali.* Et certè  
Elias precibus suis cælum aperuit: eodémque ferè tempore etiam ignem  
ad sacrificia, & aquas & terræ fructus è cælo deduxit. Paulinus vocat  
eam *tabulam naufragorum*: quæ in tot ac tantis nos fluctibus, periculis  
maxi-



maximis, tutos salvosque ad portum, & tandem ad patriam caelestem, vehit ducitque. Chrysoſtomus *anima ſolem* nuncupat: quia ut ſol mundum illuſtrat & reficit, ſic oratio mentem illuminat renovatque. Si igitur ſapimus, & nos ardentibus precibus Deum ſolicitemus, ejusque auxilium & opem ſupplices imploremus: hac ſpe, & fiducia, hac animi *πληροφορία* roborati, multò certius nos à Deo exauditum iri, quàm iſti petivimus. Sicut autem ſine cibo & potu nō eſt plena refeſtio corporis, ſic ſine oratione & jejunio conjunctis, non eſt plena animi reſo-

3.  
*Jejunium.*

cillatio; utque cibus robur adfert, potus cibum temperat, ſic jejunium animum roborat, & oratio jejunium temperat. Quemadmodum enim (ait Chryſoſtomus) *nec miles ſine armis eſt aliquis, nec arma ſine milite: ſic nec oratio ſine jejunio, nec jejunium ſine oratione valebit.* Tertio igitur loco ſit *Jejunium.* Sic Eſdras reducturus populum ex captivitate in terram ſuam: *Proclamavi* (inquit) *ibi jejunium. Cum itaq; jejunantes quaſiviſſemus à Deo no-*

4.  
*Lachryma.*

*ſtro hanc rem, exoratus eſt nobis.* Filii Iſraēlis à Benjaminitis ſemel atq; iterum percuſi, etiam optima in cauſa præliantes; poſtea adherunt domum Dei, & *ſteverunt coram Domino, & jejunaverunt die illo uſque ad vesperam,* & ſic victoriã potiti ſunt. Sic Joſaphatus divinam opem jejunio & precibus contra Moabitas implorans, & promiſſionem Dei fide amplexus, lætiſſimam victoriam divinitus obtinet. Quid <sup>a</sup> Ninivitarum? Quid <sup>b</sup> exercitus Davidis? Quid Eccleſiæ <sup>c</sup> Antiochena? Quid Eccleſiæ <sup>d</sup> Gentilis, de quibus in Actis legere eſt, exempla multis memorem? Et certè, ſi quis oratione Deum acceſſurus, corpore toto fuerit integer, nihilque fractus jejunio, citò deficiet: at ſi fractus & jejunio armatus oraverit, minimè recedet, ſed acriùs inſtabit, imò promtè & ardentè orans, alacriùs perfeverabit. Cum jejunio autem & *lachryma* conjungantur, item animi contriti dolor, atque triftitia. *Qui enim de peccatis contriftatur* (ut monet Chryſoſt.) *vel ſuis vel alienis, ſolus utilitatem capit.* Idque ita ſe habere probat: *Mulieri minatus Deus, dicensque, in dolore paries filios tuos, oſtendit dolorem peccati fructum. Sed ò magnum donum! quod in penam dedit, in ſalutem vertit. Peccatum dolorem peperit, dolor peccatum contrivit.* Hic ergo & hac in cauſa ſalutaris eſt dolor, & triftitia prodeſt. Atque ſic fieri Deus etiam præcipit, dicens: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in ſtutu, & in planctu.* Reſtat tandem ex contrariis remedium adhuc unum, *ſobrietas & temperantia:* quã omnibus vitæ noſtræ diebus ſic lucere, aliisq; præluſcere debemus, ut non modò nos ipſos in S. pietatis ſtudio & diſci-

3.  
*Jejunium.*

Hom. 15. in Matth.

Eſdr. 8. v. 21.  
Jud. 10. v. 26.

2. Par. 20. v. 31.

4 Ion. 3.  
b 1. Par. 10. v. 12.  
c Act. 13. & d 14.

4.  
*Lachryma.*

Joël. 2. v. 12.

5.  
*Sobrietas & temperantia.*

di. exornetur. Etenim in publicis  
 magna caritate reſpondent: & vana  
 erunt. Sic nec in eleganter loqui  
 ſunt: peccato aliquo commiſſo  
 ſolere perfeſſimus. Quare loqui  
 nappelamus, horum exornatione  
 de peccatorum venia. De bono  
 re, & ſtudio reſiſcentie contem  
 n, non ſimulatam, ſed veram  
 ipſe noſtri miſertus, manum  
 n, omniaque hæc mala à nobis  
 tantis accedat. *in deus & piam  
 eripiam te, ut honore digna me  
 ego conreſtiam. Quamquam  
 & accipietis. Quis amabo in  
 atis tuæ juſ non adeat? reſo  
 artem litigantem & ad ſup  
 n docet, & facilem impetitione  
 judicium judex Deus, ut con  
 ut oremus: ipſe docet quod  
 rum: Petrus, & dabitur vobis  
 ſanna caſſidima matrona in  
 tituta, (ſi modò vera hiltoria  
 ritum pueri Daniēlis qui tem  
 lib equitatu Syrorum circum  
 imine poſitus, clamavit ad De  
 exempla plusquam ſecentia  
 perfeſcere, paucis his contem  
 morborum varietate, vana  
 ejus modi eſt pharum cum, que  
 vera eſt illa Panacea herba, que  
 ſtur. Unde orationis riu & cetera  
 Auguſtinus eam vocat. *clam  
 erunt: eo demque ſere tempore  
 re fructus & celo deduxit. P  
 uæ in tot ac tantis nos fruſtra**



mus & proficiamus, sed & multos hoc nostro exemplo, & præeunte luce, Christo lucrificiamus. Dum verò sobrietatis & frugalitatis studium commendamus: non omnem hilaritatem aspernamur, non negamus etiam piis lætas & faustas nuptias, non honesta convivia, non vini, aliarumque rerum modicam lautitiam auferimus, (dona enim DEI sunt omnia,) sed modum & mediocritatem in ipsis sequendam docemus, & ita institui, agi, & celebrari hæc debere, ut Dei timor, & illibata gloria ejus constet. Agè igitur quæ de conviviis Christianorum piè reliquit Chrysofomus, accipite: *Non omnino negem, conveniendum inter nos esse nunquam, & concœnandum: sed inhonesta & impia convivia interdici velim, & luxum in cibum converti, qui dolore, remulencia, & lascivia careat, ut vel gentes intelligant, Christianos nosse modum deliciis facere, id est, modeste & temperanter his uti. Exultate Domino in tremore, ait Propheta. Qualis erit illa exultatio? Hymnos scil. pronuntiare, sermones honestos conferre, orare, & Psalmos pro scurrilibus illis cantionibus inducere. Hoc pacto Christus mensa aderit, & dapas benedictione complebit: cum preces ad eum fuderis, cum spiritu decantabis, cum egenos ad victus communionem convocaveris, conviviisq; modum & temperantiam exhibebis. Atque adeò Philosophorum & Ethnlicorum hac in parte temperantia nos cum rubore & pudore doceat, quales in victu & convictu nos esse deceat. Dux Atheniensium (ut historię memorant) vocatus à Platone ad convivium, frugaliterq; ab eo tractatus, postridie Platonem cœnens, dixisse fertur: Vos, ô Plato, melius cœnatis die sequente quàm præsentem; sive, (ut Cicero refert) vestra quidem cœna non solum in præsentia, sed etiam postero die jucundæ esse solent. Convivia quippe immoderata, postridie stomachum gravant, moderata acuunt. Sic frugalitas Catonis, temperantia Curi, sobrietas Socratis, mediocritas Diogenis, aliæque id genus virtutes aliorum gentilium & ethnlicorum literis passim sunt consignatæ. Sed solidius nos doceat divina scriptura. *Iusti* (inquit Psaltes regius) *epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delecentur in lætitia.* q. d. conceduntur & piis piæ epulæ & exultatio, sed fieri jubentur in conspectu Dei, h. e. sicut decet eos qui Deo præsentem & hospite summo, epulentur. Sic salvator Christus ad nuptias cum discipulis invitatus, tanquam gravitatis, sanctitatis, & modestiæ exemplar, ne quid in nuptiis fieret leve & indecorum, conviva nuptialis comparet. Utinam & nos convivia nostra sic ad hilaritatem vel amicitiam cœciliandam instituta celebraremus, ut Deus cum S. suis Angelis præsentem hospitem nobis, nostrisq; conviviis, adessent, & præessent.*

In ferm. super illo. Carnis concupiscentiam ne secteris.

Alian lib. 2. de var. hist.

s. Tusc.

Quare

Quare si his mediocritatem  
voluerimus, si præsentia hæc p  
non desiderant vni mediocritatem  
equos, tanquam omnium fo  
tiam, fontem, & originem o  
natio vitate eorum luxum, gra  
biliter & erandas has mu  
quam non sint tunc sepe dolent  
Sic opora eques, sic par  
quillitas, sic aurea secula reu  
Non erit faceret nobis fa  
tamas, pectus, merito, consuetu  
penam: sic denique vni, que  
nam pædia.





Quare si his medijs atque remedijs fanis & salutaribus locum dare  
 voluerimus, si praesentia haec pharmaca & antidota ingrati non respue-  
 rimus, divinam visum medicabiles arte; fugite monitis nostris, cane pejus &  
 angue, tanquam omnium scelerum vitiorumque colluviem & barath-  
 rum, fontem, & originem omnium malorum, Epicurea illa Baccha-  
 nalia; vitate eorum luxum, crapulam & ebrietatem, odioque Vatiniano  
 fallaces & evanidas has mundi delicias prosequimini, & quae princi-  
 pium nostri sunt saepe doloris, *gaudia*.

Sic optata quies, sic pax aurea, sic nobis respirabit lenis aurae tran-  
 quillitas, sic aurea secula redibunt, recurret priscus ordo temporum.  
 Non aris focusque nostris sanguinolenta bella nocebunt; procul ibit  
 fames, pestis, morbi, caeteraque quibus graviter affligimur, plagae atque  
 poenae: sic denique vera, piisque parata, donabuntur hic & in aeter-  
 num *gaudia*.

D I X I.



multos hoc nostro exemplo  
 Dum vero sobrietatis & temperantiam hilaritatem aspernam  
 nuptias, non honorem, non  
 lautitiam auterimus, (omni-  
 diocritatem in ipsis beati-  
 zae debere, ut Dei timore in  
 de convivii Christianorum  
 otuino negem, contra modum  
 honesta & impia contra modum  
 insolentia, & lascivia carum  
 lectis facere, ad est, modeste  
 ait Prophetas. Quasi erit illa  
 conferre, orare, & Psalmi  
 brisus mensa aderi, & saepe  
 um spiritus decantabo, cum gen-  
 g, modum & temperantiam  
 aticorum hac in parte tem-  
 a, quales in victu & comita-  
 t hiltoria memorant, vocant  
 eo tractatus, posttridie Platan-  
 nelius ornatus die sequens qui  
 em carne non solum in profectu  
 via quippe immoderata, pini-  
 uunt. Sic frugalitas Comen-  
 diocritas Diogenis, atque  
 icorum literis passim hinc  
 riptura. Jussi inquit Platan-  
 & delebantur in lectis, a de-  
 d fieri jubentur in competiti-  
 & hospite summo, epulantes  
 cipulis invitatus, saepeque  
 ir, ne quid in nuptiis fieret  
 paret. Utinam & nos comen-  
 ciliandam in hirtuta celebrat-  
 s hospites nobis, noluisse,



AD CONSULTISS. PRUDEN-  
TISS. DOCTISSIMUMQUE VIRUM, DN. JO-  
HANNEM RASFELDUM, SECRETARIUM AM-  
pliff. Reipubl. Vefalientis fidissimum, dominum &  
fautorem suum, μέλ & Ὁχλειστικὸς.

**C**ogit me pietas, RASFELDI, fide patrone,  
Cogit sancta fides tua me, constantia cogit,  
Dignus amore favor nostro, studiumq; merendi  
De me, deq; meis studiis, bene: denique cogit  
Officiis in me variis tua prompta voluntas,  
Ut tibi jam meritas persolvam ex pectore grates.  
Grates ergo tibi nunc dico ex pectore magnas  
Pro meritis in me variis, curisq; paternis,  
Me quibus indignum complexus es, atque favore:  
Quod, quoties animum dubium constricta tenebat  
Sollicitudo, metus, quoties res ardua: tutum  
Consiliis, monitisq; tuis, operaque fideli  
Erueris, quasi me tricus, & compede vinculum.  
Denique sit tibi laus, sit honos, sit gratia summa,  
Sape quod in studiis mihi cor, animumq; virilem  
Addideris, mihi currenti calcaria saepe.  
Quod restat precibus te, candide fautor, amicis  
Oro, mei curam deponas pectore nunquam,  
Nunquam te teneat nostrarum oblivio rerum.  
Officiis pariter tibi me devincio promittis,  
Atque fidem, studiumq; meum promitto, tuisq;  
Hujus sit locuples, sit fidus testis amoris,  
Hac, tibi quam mitto, reliquisq;, oratio nostra.  
Salve, vive, vale; multum, longumq;, diuq;.

Apposuit

SAMUEL CUTSEMIUS.